



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Lvdovicvs I. Ex Comitibvs A Thierstein Abbas Heremitarvm XXVIII. Et
Princeps Imperii Vndecimvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



LVDOVICVS I. EX
COMITIBVS A THIER-
STEIN ABBAS HEREMITARVM
XXVIII. ET PRINCEPS IM-
PERII VNDECIMVS.

A. D. N.

CLD. CCC.
XCI.

A. D. N.

CLD. CCC.
XCII.

A. D. N.

CLD. CCC.
XCIII.

A. D. N.

CLD. CCC.
XCIV.



ANNO Nonagesimo primo, concessit abbas Ludouicus Praefecturam Frisæ Henrico Comiti Verdenbergæ, Vaducij Domino, qui promisit præstiturum se omnia, quæ jure beneficiario tenetur cum fide, facto datoque in eam rem scripto feria vi. proxima ante D. Georgij. Anno nonagesimo quarto inducias, & pacem Austriaci, & Confederati produxerunt in annos viginti proximè sequentes, feceruntque eius rei utrimque Instrumentum xviij. Kalend. Augusti, quo Instrumen-

to expref-

to expressim Aduocatio hæreditaria Monasterij, & Principatus Heremitarum Principibus Austriacis reseruatur, Præfectura verò, & iurisdicção incolarum Heremi manet Suiijs, toto hoc pacis tempore, exceptis Hurdensibus & Vffnau-giensibus, qui iisdem Principibus attribuuntur. Publicatæ induciæ tota Heluetia & per Austriacas Germaniæ superioris prouincias circa festum D. Margaritæ, magnaue imposita infractoribus publicè pœna. Clementi qui contra Urbanum VI. & Bonifacium IX. hæctenus Aueniõne pontificem gesserat, sublectus mense Septembri ab partibus Petrus de Luna, Hispanus, qui se Benedictum XIIII. nominauit, & annos viginti vnum eam sibi dignitatem vindicauit. Annus nonagesimus sextus insignis fuit Nicopolitano prælio inter Sigismundum Hungariæ Regem, cui Ioannes Ducis Burgundiæ filius auxilio cum maxima Galliæ nobilitate aduenerat, & Baiacetem Turcarum principem. Magna vtrimque facta strage, victoria penes Barbaros remansit, Gallorum superbia, & inter se inuidia, sed etiam prodicione Ioannis Galeatij ducis Mediolanensis, Baiacetis confederati. Cæsa Turcarum millia sexaginta: Christianorum viginti. Intercesserat magna, & longainter abbates Heremi, & marchiones Hochbergenses propter decumas, & alias possessiones pagi Riegolis in Brisgouia siti controuersa, & inde graues vtrimque inimicitia, & contentiones, litemque euicerat, publico iudicio, Marchio. Sed, iudicum sententia posthabita, marchio Ioannes, amicè, & beneuolè cum abbate Ludouico de omnibus, quæ contentionem mouerant, transiit, seipsumque vtrò, & sponte omnibus bonis, & iuribus, quæ eodem publico iudicio obtinuerat, exiit, ea omnia, sicuti & dictas decumas abbati, & Monasterio perpetuò liberè, & inoffensè possidendas consignauit, scripto facto anno nonagesimo septimo feria V. proxima ante D. Martini. Hoc tempore erat Præpositus Faræ Marquardus ex baronibus ab Ende. Anno nonagesimo octauo concessit abbas Petrus Friderico Comiti Toggenburgi, Brettigouia, & Tauasij domino, Castrum Vuildenhaufæ nominatum, itemque præfe-

A. D. N.

CIX.
CCC.
XCVI.

A. D. N.

CIX. CCC.
XCVII.

A. D. N.

CIX. CCC.
XCIII.

eturam Erlibach, & alias nonnullas possessiones, quæ se jure
 fiduciario habiturum, & ijs more, & lege fiduciaria abbati,
 & eius monasterio præsto futurum Comes spondit, festo
 die D. Hilarij. Paulo post, dominica scilicet ante Purifica-
 tionem, conflagrauit magna Constantiæ pars, decem con-
 tinuas horas sæuiente per plateas incendio. Neque multo
 post obiit Burcardus episcopus. Suffectus Fridericus ex Co-
 mitibus Nellenburgi, qui cum breui etiam defecisset, aut,
 vt alij tradunt, resignasset, episcopatum accepit Marquardus
 à Randeck præfuitque annos decem. Anno millesimo qua-
 dringentesimo cum multæ vndiq; de rege Venceslao essent
 querellæ, vtpote qui non modo sædis moribus, & lubidi-
 nibus Imperij Maiestatem macularet, sed plerasque regni
 Germaniæ vrbes, & Domina, accepta pecunia, abaliena-
 ret, sordidè, auarè, turpiter imperitaret, conuenere postre-
 mo, mense Maio, Electores Honsteinij, in opido Rheni, &
 ad dicendam caussam Venceslaum ad proximum D. Lau-
 rentij festum diem conuocauere. Cum non adparuisset, ne-
 que, qui defenderet, quisquam adesset, Imperio exuerunt
 XIII. Kalend. Septembris, eiusque acta, & priuilegia rescin-
 derunt, vana, & irrita iudicauerunt. Die sequenti, con-
 cordi suffragio Romanorum regem salutarunt Rupertum
 Comitem Palatinum, vtriusque Bauariæ ducem qui annos
 nouem, menses quatuor, dies sedecim Imperio præfuit.
 Bonifacius pontifex iubileum, innumera mortalium toto
 orbe concurrentiam frequentia, Romæ celebrauit. An-
 nus quadringentesimus primus pestilentia, & variis morbis,
 necante cognitis, grauis & exitialis fuit. Et quia Iudæos
 corrupisse fontes, incertis auctoribus, fama iterum vulga-
 uerat, eorum passim edita, multis locis, promiscua cædes.
 Eodem anno, festo D. Mauritij, sacramentum fidelitatis
 præstiterunt Ruperto omnes Heluetij, exceptis Suis, qui
 negarunt, antiquas contentiones caussati, quod bellis, quæ
 pro libertate, vt volebant, gesserunt, magis aduersarios,
 quam protectores Cæsares habuissent. Natum subinde Ab-
 batiscellanum bellum longe omnium grauissimum siue ge-

starum re-

A. D. N.

CIX. CD.

A. D. N.

CIX. CD.

starum rerum magnitudinem spectes, siue casus mirabiles, & fortunæ in rebelles indulgentiam pene perpetuam. Anno secundo eius seculi, extinctus abbas Ludouicus. Cùm enim Argentinam proficisceretur, ad cuius episcopatum lectus & euectus erat, Feficonemque vsque in arcem, ingenti pompa, & apparatu, peruenisset, nocte, quæ vii. Idus Octobres præcessit, repentina morte abreptus est, haut æquiorum exitum, quam vitam vixerat, promeritus. Superbè enim, & flagitiosè res Monasterij administrauit. Multa eius dominia, & iura in Elsatia præsertim, & Brisgouia fœdè dissipauit, vendidit, aut obligauit, maximè postquam ei de episcopatu Argentinensi oblata spes; vt eo potiretur, nullis largitionibus, nullis promissis abstinuit, cuncta venalia, & vilia habuit, multo inter hæcluxu, & sumtu, quasi profundendis, non conseruandis Monasterij opibus, natus, & adlectus. Erat ex Comitibus à Thierstein oriundus, antiquæ claritudinis, & nobilitatis, patre Ioanne, qui prælio Sempacensi cecidit, matre Elisabetha ex Marchionibus ab Hochberg genita. Post eius obitum lectus, magno omnium consensu, abbas Hugo ex Baronibus à Rosenneck, quem Monasterij administratorem Ludouicus, se absente, constituerat.

A. D. N.
CIX. CD.
II.



HVGO